



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1613

Qvomodo Rex Armeniae, Socer Imperatoris Tartarorum factus sit. Capvt
VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

cum donis Bethlehem duxit, ut Christum
recens natum adorarent, originem traxe-
rat. Fuit sanè hæc admodum pia, vèreque
Christiana mulier: nam sine intermissione
licentiam petiit, ut Turcarum fana de-
struere, ac demoliri posset, vtque penitus
è memoria hominum Mahumeti nomen
tolleretur. Sed neque hæc fuit vna ex vlti-
mis causis assiduitatis Haoloni; nempe,
quod Haolonus penes se multo tempore
Haytonem, Regem Armeniæ affinem suū
habuerit, qui eum non minus, quam Ueu-
coscaron coniunx omnem pietatem do-
cuerat, in fide confirmârat, & vt in Turcas
bellum moueret, intitârat.

QVOMODO REX ARME-
NIAE, SOCER IMPERA-
TORIS Tartarorum fa-
ctus sit.

CAPUT VII.

THomas Božius lib. 5 cap. 1. de signis
Ecclesiæ Dei de Tartaris ita habet:
Tartari sunt in confinibus Polonici reg-
ni, & plurimas superioribus sæculis pro-
vincias, in suam potestatem redegerunt
in Asia, domitis Mædis, Persis, Parthis, &

R

alijs

ANNO
1298.

alijs finitimiis nationibus, è patrijs sedibus egressi. Horum nonnulli Reges, cum plurimi suorum, nomen Christo varijs temporibus dederunt. Inter alios CASSANVS quem vocant alio nomine MANGO: hic cum ducentis millibus equitum an. 1298. Syriam cœpit. Ioanne Villanezo illorum temporum scriptore, & Haytone Armeno testibus. Is Christo se adiunxit huiusmodi occasione. Imperabat hic Tartaris vniuersis, nam rex eorum supremus fuerat: cùmque audisset Armeniae Regi esse filiam pulcherrimam, petijt illam sibi in uxorem dari. Haud potuit pater potentissimi omnium Regis postulata negare. Adducta ad illum puella breui concepit, ac peperit filium, cui facies erat adeò deformis, ut omnino monstrum videretur. Habito suorum consilio, Rex iudicauit non ex se, sed ex adulterio prolem natam, ideoque matrem cum sobole flammis ad iudicauit: Inops consilij & innocens vxor, ad Deum confugit, spaciumque sibi dari rogauit, quo cōfessione sacra, & communione Eucharistiae se communiret, editumque sc̄etum baptismo ablueret. Annuit Princeps, ipsoque præsente & populo vniuerso, sacris aquis est immersus puer; Et ecce mirum dictu, protinus illius

effi-

effigies immutata, cunctisque cernentibus ac demirantibus apparuit omnium venustissimus partus. Ea re obstupefactus Cassianus cum populo ferè vniuerso, non men Christo dedit.

Idem Thomas Bozius lib. 1. cap. 16. fermè ijsdem verbis hac de rescribit, & rursus libro secundo capite secundo ubi & Haytonem nominat, & eius hanc fuisse filiam asserit. Fuit itaque Rex Armeniæ, sacer Tartarorum Imperatoris, & affinis Haoloni fratris eiusdem. De huius filia Gilbertus Genebrardus ita scriptum reliquit. Mirabili modo Mango Cham Tartarorum Imperator, vna cum fratre Haolono & vniuersa sua progenie per filiam, ad veram religionem Regis Armeniæ perductus est. Postea vero Haolonus cum numero milite contra Cathonem Melchmesem, ad expugnandas Hierosolymas, terram sanctam ingressus, in cuius vexillo crucis Christi imago gerebatur.



R

QVO-